

05

A

1319



3.

IN NOMINE JESU
DE MESSIA

Ex Evangelio Dom. 1. Ad.

PRAESIDE

WILHELMO LYSERO D. & P. P.

Respondente

M. BALTHASARE BALDUINO DRESDENSE

23. Jul. 1628.

in Auditorio minori disputabitur

WITTEBERGÆ,

Typis JOHANNIS HAKEN.

IN NOBIS
DE MESSIA

Dr. Georgius Lohm. M.

FRATRES

WILHELMUS O. D. & P.




LEBENSZEITEN O. DR. ESSENSE

in Anhang des Lebenszeitlebens

WITTEBERGA

THESE A 50





Semen mulieris conteret caput serpentis Gen. 3, 15. prima haec Evangelica concio fuit, unde & Protevangelium dicitur, accurate & diligenter notanda, i. ob concionatoris Majestatem: is **DEUS** ipse fuit Jehovah Elohim v. 14. **DEUS** essentia unus personis tribus, qui ipse munus Evangelici concionatoris primus subiit, ita ut adoranda Trinitas, per personam mediam de se ipsa loquentem, initium Evangelicarum concionum faceret, & filius qui in sinu patris nobis revelaret Joh. 1, 18. mysterium aeternis temporibus tacitum Rom. 16, 25. Chaldaeo interprete id explicante, qui v. 8 & 10. vocem verbi Domini in horto auditam dicit.

II. 2. Ob promulgationis solennitatem, etsi enim homo promeritus fuisset ut statim post lapsum sine ullo solatio ex paradiso eijceretur: tanta tamen **DEI** benignitas fuit, ut in horto voluptatis tam diu relinqueretur, quoad prius firma consolatione de concultatore & victore Satanae informaretur; ne illa carens & ejectus in desperationis abyssum incidere. Ita ergo in paradiso statim paradisi relinquendi damnum sarcitur, promissione de Messia, qua alius paradisos extruitur, in quo arbor scientiae fidei, boni sine malo: arbor vitae non hujus sed alterius seculi beatae & aeternae; fons vivus omnis boni auro pretiosissimo sanguinis Christi I. Pet. 1, 19. & gemmus fulgentissimis meriti ejusdem refertissimus, in quatuor mundi plagas uberrime se diffundens.

III. 3. Ob rei revelatae dignitatem: De Messia enim haec concio est: is proprie semen mulieris ex sola muliere sine viro natus Esai. 7, 14. is κατ' ἐξ ὀφθῶν semen in Scripturis appellatur. Gen. 13, 15. 22, 18. 26, 4. 28, 14. 2. Sam. 7, 12. I. Par. 17, 11. Psal. 89, 5, 30, 30.

Mal. 2, 15: is individualiter intelligendus per singularem nume-
rum in promissionibus spiritualium bonorum Gal. 3, 16. qualia
bona hic certe intelliguntur, quia omnis mali origo tollenda præ-
dicatur. Et quid multis opus? clarissimum interpretem habemus
Paulum Heb. 2, 14, 16. filius DEI SEMEN Abrahæ assumit,
ut ABOLERET (hoc conterere est) mortis imperium ha-
bentem (hoc caput est) DIABOLUM, qui in serpente ho-
mines in mortem deduxit. Non erravit ergo Eva Gen. 4, 1.
hanc promissionem de Jehovab seu Messia intelligendo, licet in
circumstantiis, temporis, matris, individui erraret. Consensum
Interpretum, Chaldaei, Senum, Rabbiorum antiquiorum, Pa-
trum &c. adducere nimis prolixum foret.

IV. Non ergo movent nos recentiores Judæi & Judaizans
Calvinus, collectivum seminis nomen opposcentes: cum & alibi
Gen. 4, 25. 15, 3. 21, 13. hic certè, ut supra demonstratum indi-
viduale sit. Nec semen serpentis collectivum præcedens (quæ
Paræi ^{evs} est) semen mulieris contra Scripturæ sensum ad-
pluralitatem detorquere potest.

V. Rectè vero & ordine convenientissimo Primo Evangelio
Paradisiaco, quotannis primum Evangelium in Ecclesia expli-
candum respondet, ut ita Harmonia sit convenientissima; et si e-
nim per ministrum loquatur, idem tamen DEUS loquitur: pa-
radisus Ecclesie, pulchritudine primo non cedit: Messias idem
illic promissus, hic missus ostenditur. Unde & non minor ad nos
redibit utilitas, quam ad Adamum ex primo pervenit Evange-
lio, notitia Christi vera formabitur, fides firmabitur, consola-
tio solida & vita verè Christiana fundabitur. Agamus ergo
hac vice

DE MESSIA,

Qui præsit & dirigat animum atq; calamus,
Amen.

E E H-

VI. Scopus scripturae totius, omniumq; cum primis N. Testa-
menti concionum est, Jesum esse Christum i. e. Messiam;
ideo scripsit suum Evangelium Johannes c. 20. 31. disputavit
cum Judaeis Damascenis Paulus, eosq; confudit Act. 22. In &
dodeceteris produxit Apollo Act. 18. 28. Baptismo conciones ad-
didit Johannes Act. 19, 4. Salvator ipse ad falsas accusationes
tacens, interrogatus an Christus sit tacere noluit, clarè respon-
dens: tu dixisti Matth. 26. 64. Ego sum Marc. 14. 62. Et ob
hanc confessionem in Synedria damnatus apud Pilatum accusa-
tus Luc. 23, 2. mortem obiit. Totius enim nostri Christiani-
mi fundamentum est, Jesum Nazarenum esse Messiam. Unde
loci hujus necessitas apparet, quam studiosè & sedulo in Ecclesia
sit tractandus: eo enim collapso totus Christianismus corrui-
t, fides perditur, salus amittitur.

VII. Ad meliorem totius loci explicationem, descriptio-
nem premittimus hancce, Messias est in V. Testamento pro-
missus, in N. exhibitus Christus *ἁγιασμένος* unus, rex,
Propheta & Sacerdos noster in statu Exinanitionis & Ex-
altationis, ordine ex Evangelio jam hæc explicabimus.

MESSIAS.

VIII. Messias interpretatione Simonis Græca Christus est
Joh. 1. 41. Latinis unctus dicitur, Germanis Gesalbter. No-
men ipsum bis in Græco textu N. T. habetur Joh. 1. 41. 4, 25.
Lutherus retinuit semel 2. Sam. 23. 1. semel Christum reddidit
Dan. 9. 25. Estq; nomen proprium Salvatoris nostri, licet enim
in V. T. Sacerdotib. quoq; Lev. 4. 5. 6, 22. Et regibus 1. Sam. 12. 3.
tribuatur; proprie tamen Christo competit, præ consortibus,
Psal. 45. 8. Heb. 1. 9. propter unctionem D E I ad singulare offi-
ciii plane singularem Joh. 3. 14. de qua ipse Christus Luc. 4. 18. ex
Esa. 61. 1. disserit: ad quam etiam hic populus respicit, dum in

nomine Domini venire eum dicit. Vbi simul cognomen
Messie in Ecclesia tunc usitatum indicatur: *VENTURUS*
enim, ὁ ἐρχόμενος Matth. 11. 3. Joh. 3. 31. 6. 14. Mar. 3. 11. Joh.
1. 15. 27. Act. 19. 4. dicebatur ex Psal. 40. 8. Esa. 35. 4. 59. 20.
62. 11. Hag. 2. 8.

EST IN V. TESTAMENTO PROMISSUS.

*IX. Fatetur Johannes in descriptione hujus historia, Pro-
phetias earundemq; impletionem discipulos primùm non
cognovisse, sed quando glorificatus est Jesus, tunc recor-
datos fuisse, quia hæc erant de eo scripta Joh. 12. 16. Ita
Matthæus cum in festo Pentecostes Sp. S. impletus Act. 2. & pe-
culiariter ab eodem 2. Pet. 1. 21. adscribendum impulsus fuisset:
vaticinium Zachariae de Christo agere vidit, quod & res ipsa sa-
tis ostendit. De Messia enim integra tria capita 9, 10. & 11. a-
gunt: ipsaq; descriptio nullo mundano regi competit: quod Rex
simul & pauper. v. 9. quod loquetur pacem gentibus, & po-
testas ejus à mari usq; ad mare, & à flumine usq; ad fines
terræ v. 10. quod in sanguine foederis sui, emittat vin-
ctos suos de cisterna. v. 11. &c. Quæ omnia tam clara, ut assen-
sum à R. Salomone & aliis extorserint, hic Messiam promif-
sum: apud Christianos verò ex citatione N. T. id ipsum in
dubium.*

*X. Falsum ergò est, quòd alij Judei hæc de Esdra, Mardo-
chæo, Nehemia, Macchabæis explicare conantur: nullus enim
eorum Messias fuit; nullus pacis præco apud gentes fuit; nullus
eorum Rex, nedum tam latè dominans fuit: nullus eorum tam
solemniter in asina Hierosolymam ingressus fuit: nullus per san-
guinem foederis vinctos emisit. Quod postremum dum Calvi-
nus, de Christo agere non concedit, strenuè Judaizat. Vid. Hun.
T. 11. Latin. Col. 676. 810.*

XI. Con-

XI. *Concordat cum Zachariae promissione totius Prophetarum chorus; omnes enim Messiae testimonium perhibent Act. 10. 43. imò quilibet peculiare ejus τεκμήριον, signum nomenve habet: Adam ex prima promissione Gen. 3, 15. semen mulieris & conculcatorem serpentis. Noah Iridem Gen. 9. 13. Sem Sacerdotium Genes. 14, 18. Psal. 110. 4. Abraham & Isaac semen benedictum in monte Moriah. Gen. 22. 18. Jacob Sceptrum usq; ad Siloh. Gen. 49, 10. Moses Prophetam magnum Deut. 18, 15. Josua principem exercitus Domini Jos. 5. 13. Gedeon rorem in vellere Jud. 6. 37. David fructum ventris ponendum super sedem suam Psal. 132. 11. Esaias virgam de radice Jesse Esa. 11. 1. Jeremias virum foemina circumdatum Jer. 31. 22. Ezechiel Pastorem David. Ezech. 34. 23. Daniel Christum ducem Dan. 9. 25. Hoseas desponsationem Hof. 2. 19. 20. Joël rugitum de Sion. Joël 3. 16. Amos suscitationem tabernaculi David. Am. 9. 11. Jonas triduum in ventre ceti Jon. 2. 8. Michaeas Moschel ex Bethlehem Mich. 5, 2. Nahum super montes pedes Evangelizantes, Nah. 1. 15. Habacuc super custodiam veniendo venientem Hab. 26. 3. Zephaniae potentem servatorem Zeph. 3. 17. Haggaeus desiderium omnium gentium. Hag. 2. 8. Zacharias regem asinae insidentem Zach. 9. 9. Malachias Angelum foederis. Mal. 3. 8. Totum insuper Leviticum Sacerdotium nil aliud quam promissio Christi typica fuit quotidiana sacrificia quotidiana erant de Messia conciones: promissiones erant, conciones verbales: typi, figurae, sacrificia reales: Ut ita unicus scopus totius V. T. Messias fuerit, quod negare Ethnicismum resipit: à quo quomodo Patriarcham suum Calviniani liberare queant, dum plerasq; promissiones pervertit, non videmus.*

IN N. EXHIBITUS CHRISTUS.

XII. *Quod praedictum fuit per Prophetam Zachariam & alios*

alios id omnino impleri oportuit, adeo ut in quo omnia impleta
non sunt, verus Messias esse non possit: conformiter enim ubi in stia
pate & Christus in cruce portandus, harmoniceq; Hosanna Mes-
sia acclamandum & a precedente Prophetarum & a subsequen-
te Evangelistarum choro. Atq; hic primaria inter nos & Ju-
deos exoritur controversia: in illo enim utrinq; amice consen-
timus, quod Messias a DEO promissus sit: at nos porro contendi-
mus ante annos 1624. natu Jesum in Bethlehém, in quem firma
fide credimus, esse verum illum promissum Messiam mundi, Sal-
vatorem. Judaei vero e contrario id pernegant, negant Messiam
venisse & in adhuc venturum credunt: negant Jesum Nazare-
num Messiam esse. Hec ipsa inter Judaismum & Christianis-
mum differentia, quasi ex nostra parte solidis fundamentis ca-
reat, totus Christianismus, totus secundus Symboli Articulus con-
cidet: quamobrem Dominica Adventus in Ecclesia instituta, &
Evangelium quod pra manibus est ordinatum.

XIII. Ex illo ipso erge, ne alia afferamus, gemina petimus
nostra sententiae firmamenta. Primum suppeditat Tempus & lo-
cus Messias enim rex teste Propheta, ingressum suu Hierosolymis
celebrare debuit: at Hierusalem jam ultra sesquimille annos,
destructa jacet nunquam restauranda, quod tempore Juliani
miracula ostenderunt. Ergo Messias vel noster Jesus est, qui
ita destinato tempore venit, vel nunquam veniet. Venit item
Jesus eo tempore, quo per Imperatores Romanos, pro lubitu gu-
bernatores Judaeis assignantes, sceptrum a Juda penitus abla-
tum fuit, juxta prophetiam Gen. 49. 10. Messias ad secundum
templum venire, ergo illo stante, debuit, Hag. 2. 8. Noster Jesus
hic per portam templi ingrediens, ad Templum venit: nec alius
destructo per Romanos templo venire poterit Messias. Ad secun-
dum templum statim venire debuit, Mal. 3. 1. Noster Jesus vix
500. elapsis annis jam venit: qui jam post 2000. annos veniret
non statim, sed tarde id faceret. Messias excidetur post 70. heb-
domadas

domadas annorum (quales Levit. 25. 8. habentur) Dan. 9. 26.
h. e. 490. annos. At noster Messias tunc excisus, tam exactè
congruente tempore, ut duodecima mensis primi. 1. Eld. 8. 31. un-
de exordium faciendum annorum Danielis, finitis illis media
rediret inter diem hanc regij ingressus decimâ, & egressus ad
passionem in hortum, decimâ quartâ mensis primi die peracti.
Nil dico de sacrificiis, adventu Christi hoc ad sacrificium, subla-
tis: nil de secundo millenariorum mundi ordine, ex traditione E-
lia noto, post ingressum hunc Christi brevi finito: nil de ipsa Ju-
daeorum confessione, tempus tunc elapsum esse in conscientia pro-
pria convictorum, unde Johanni Johan. 1. ut & Ben Corban,
Messia honorem detulerunt: moderni Romæ inter leprosos huc-
usq; sedisse putant.

XIV. Alterum firmamentum suppeditat modus: Ingredi
debit ut rex asinae insidens: Christus noster ita ingressus; idq;
solemniter & cum regio apparatu populo eum palmis excipiente
& acclamante, benedictus qui venit rex L. 19. 38. rex Israël
Johan. 12. 13. Non est quod hodierni Iudæi fidem Evangelista-
rum hac in parte in dubium vocent, litem de eo nullus hæctenus
eis movit: ipsi Ethnici historiam hanc comprobant, asinarios
hinc Christianos appellantes, referente Tert. in Apol. c. 19. imò
Iudæi nonnulli, Iesum nostrum Messiam esse negant, quia A-
sinae animali immundo insederit. Nec est quod hæc per collusio-
nem facta dicant: quis enim multam illam turbam ad festum
venientem Joh. 12, 12. induxit, ut cum ramis palmarum Chri-
sto obviam exiret? nullus hic fraudi, nullus dolo locus.

XV. Sic reliquæ textus circumstantiæ idem monstrant: Da-
vidis filius Messias esse debuit 2. Sam. 7. Psal. 132. Iesus noster
hodie à toto populo filius Davidis appellatur: Messias regnum Da-
vidis instaurare & perpetuare debuit. 2. Sam. 7. Psal. 89. Jer.
33. noster Iesus id fecit; unde apud Marcum habetur c. 11. 10. be-
nedictum veniens regnum in nomine Domini patris

D

nostri

nostri David: unde etiam Iesus noster in civitate David Bethlehemi nasci voluit juxta predictionem Mich. 5. 2. Atque hoc ipsum tanti veteres Iudaei fecerunt, ut cum falso ob educationem Iesum pro Galileo haberent, Christum esse negarent, quia ex semine & civitate David juxta scripturam oriundus Messias esset Joh. 7. 41. quod confusis genealogiis & destructo vico Bethlehemi jam porro fieri nequit. Messias debuit multa miracula edere Esa. 35. Iesu ob multas virtutes quas viderant, hic Hosanna acclamant. L. 19, 33. Messias rex pauper esse debuit: Iesus aliena invehit asina pauper fuit. Messias debuit pati Esa. 53. Iesus ad patiendum sese solenniter hic sistit. Messias futurus erat offendiculum populo suo. Esa. 8. hic ipse ingressus offendit Phariseos, in quibus impletum illud Psal. 118, 22. (quod de Messia Raschi in Mich. 5, 2. & Targum exponunt) ut Matt. 21, 42. videmus. Sufficiunt haec nobis, quibus vel solum Spiritus S. per quatuor Evangelistas testimonium, quod in Iesu nostro haec prophetia impleta sit, sufficit.

ΘΕΑΝΘΡΩΠΟΣ UNUS.

XVI. Quia jam Messiam cum Andrea invenimus Joh. 1. 41. recte eum porro agnoscamus 1. quoad personam & seipsum. 2. quoad officium. 3. quoad statum geminum. Quoad personam est DEUS & Homo in una persona. DEUS est: id ex nostro Evangelio inde liquet, quod absolute Dominus appellatur, qui asina opus habeat: estque omniscius, qui videt asinam & pullum absentia, qui videt in corde Dominorum abscondita, qui videt eventum & futura: est omnipotens, qui potuit corda Dominorum totiusque populi flectere: est omnisciens, & prudentissime haec omnia disponit: Atque ita ipso facto demonstrat sibi nomen Jehovah, soli DEO proprium, competere, quod Messiae attribuitur Jer. 23, 6. 33, 16. & Messiae dictum filius meus es tu, Psal. 2, 27. Plura de DEitate Messiae Fer. II. Natal. habentur.

XVII. Ho-

XVII. Homo idem Messias est, debuit enim esse semen mulieris Gen. 3. 15. Abrahæ Gen. 22. 18. Davidis I. Par. 17. 11. atq; hinc communis appellatio Messie orta, quod filius Davidis dictus, quia post Patriarchas promissio Messie specialiter ad domum & familiam Davidis à DEO fuerat directa. Noster Iesus ita hic à toto populo Davidis filius proclamatur, unde Apoc. 5. 5. & 22. 16. radix & genus David dicitur. Adspicitur quoque ab hominibus verus homo, insidet certæ asinæ, flet, &c. quæ omnia humanitatem ejus satis evincunt, de qua ex professo in Feria. I. Natalitia disp. 2. agetur.

XVIII. Licet verò & DEUS & Homo Messias sit in duabus naturis, unus tamen est, ob identitatem & unitatem personæ, unde Immanuel Esai. 7. 14, 8. 8. 10. nomen Messie, quod est interpretatum, nobiscum DEUS Matth. 1. 23. ita hic de eodem Iesu divina opera omniscientiæ, omnipotentia, & humanas infirmitates, incessum, fletum, &c. legimus, ut nulla Nestoriana separatio admittenda, quod ex unione personali, quæ in Festo Incarnationis occurrit, patet. Veteres Israëlitæ probe hoc mysterium noverunt, unde quando apud Zachariam hic legitur SALVATUS dicunt esse unam de durissimis Scripturis, & colligunt DEUM ipsum fore pretium redemptionis: Midrasch Tilmim super Ps. 13, 6. & Ps. 91, 15. Bereschith Ketanna p. 147. super Zach. 9, 9. sicq; unam personam fore quæ & DEUS esset & mori posset atq; ita quoq; homo esset. Recentiores verò Iudæi dum DEUM filium habere, Messiamq; verum DEUM negant, gravissimè errant, & scripturas de Messia conciliare non valent, nescientes quomodo ob Naturam divinam Dominus, ob humanam filius Davidis sit Matth. 22, 42. 43. 44. 45. Unde multo minus de unionem consequente Idiomatum communicatione quicquam sciunt, de qua nos Fer. III. Nat.

REX PROPHETA ET SACER- DOS NOSTER.

XIX. *Nostris causa Messias venit; ipsius ergo officium nostrum est beneficium, quod non recte perpendere summum foret vitium. Triplex vero sustinet officium ex ipso Messiae nomine*
1. *Ungebantur reges. 1. Sam. 16. 1. ita & noster Messias in regem unctus Psal. 2. & rex à Propheta, atq; populo dicitur & quidem rex Israel Joh. 12, 12. quod peculiare Messiae nomen Esai. 44, 6. Sophon. 3, 15. Judaei expectant Messiam qui hostes profligaturus, regnumq; terrenum inchoaturus sit: at aliud Propheta praedicit, equum, arcum & currum succidendum, sicq; regnum ejus non mundanum futurum, quod & Christus asserit. Joh. 18, 36. Regem hunc pauperem futurum dicit. Ergo splendor externus in eo non querendus: loquetur pacem gentibus, Ergo bello non perdet sed ad se alluciet. Gen. 49, 10. Esai. 11, 10. 2. Ungebantur Prophetae, 1. Reg. 19, 16. ita & noster Messias est Propheta magnus ille Deut. 18, 15. qui sicut Moses inequivitavit a sine Exod. 4. in quo ut & in alijs cum Mose recte confertur in Midras Coheleth. p. 88. alia tamen ejus verba futura nempe non legalia sed Evangelica, hinc pacem loquetur gentibus Zacharia dicente, unde pax in caelo oritur Luc. 19, 38. 3. Ungebantur Sacerdotes Exod. 40, 13. ita & noster Messias Sacerdos secundum ordinem Melchisedech Psal. 110. 4. qui, ut Zacharias ait, per sanguinem foederis emittit vinctos, in quem finem jam Hierosolymam ingreditur, atq; in ipso itinere ab ordinaria via ad regiam deducente, deflectit ad templum, sacerdotio suo ita defuncturus. Errant hic gravissime Raschi et Aben Ezra haec ad Exod. 28, 8. detorquentes, loquitur enim Propheta de Messia non de Mose, de N. non de V. foedere cujus longe alia ratio Jer. 31. 34. monstratur. Errant Calvinus & Suttivius haec ad captivitatem Babyloniam referentes: non enim*
□□ PER pretium sanguinis, aqua vel mystica vel literaliter carentes,

rentes, tunc liberati fuerunt. Rectius in Echa Rabbathi b. e. expositionis planctus Jeremia prologo in Peticha, hac ad ereptionem de gehenna referuntur.

IN STATU EXINANITIONIS ET EXALTATIONIS.

XX. In duplici namq; statu suum officium Messias exequitur, qui probè attendendi, ne error suborietur. Exinanitionis unus est, in quo juxta Zacharia vaticinium pauper venit, a sine mutuatitia flens insedit, ut sanguine fusosædus N. T. pangere posset. Exaltationis alter est, quando ad plenariam regni administrationem post mortem adscendit, de quo Propheta, quod possessas ejus à mari usq; ad mare, & à flumine usq; ad fines terræ. Hunc duplicem statum quia Judæi distinguere nesciunt, duos Messias confingunt, alterum Ben Joseph in bello cum Gog & Magog interimendum; alterum Ben David, regnum Israel restitutum; illi omnia humilia, hinc omnia sublimia scriptura effata attribuunt: unde R. Aben Ezra scribit quosdam expositores de Messia filio David, quosdam de Messia filio Joseph, Zacharia dictum exponere. Nos per DEI gratiam unum scimus Messiam, de quo audimus ex Zacharia, quod humilia & sublimia ei competant: audimus quod venerit humilis judicandus ex hoc Evangelio, ex sequente quod venturus sublimis & judicaturus.

ΠΡΑΞΙΣ.

XXI. Faciant dicta ad summam tuam consolationem, dum enim hodie audis Messiam adventum suum ad te celebrare animitus gaude: id propheta requirit, Exulta valdè Filia Sion. jubila filia Jerusalem: ab cujus cor non exultaret præ gaudio Salvatore suo יְשׁוּעָה Jesu & מָשִׁיחַ Christo adveniente. Adveniente lege tempus terroris erat Exod. 19. 16. at adveniente legis impletore tempus letitiæ est, & quidem tante, quan-

in messe & distributionis spoliis tempore esse solet Esa. 9. 3.
Namq; Ecce modò, rex tuus venit: rex ad subditos, Ergo tuus
providus protector erit: rex filia Sion; Ergo tuus misericors pa-
ter erit: rex magnus super omnes Deos; Psal. 95. 3. Ergo
tuus omnipotens defensor erit: rex gloria Psal. 24. 8. Ergo tuus
caelestis remunerator erit. Ah audi quam dulcissime eum Evan-
gelista & Propheta describant. Rex tuus veniens venit justus:
Ergo venit ut redemptor & justificator ad peccatores, vita ad mor-
tuos, quid peccatum nocere jam posset? Ecce hic abundantissimam
justitiam habes! Venit Salvator: Ergo venit ut medicus ad
egros, quid incommodi afferre posset mors Sathanae & infernus?
Ecce, habes hic perfectissimam salutem, qua mera mors morti, vene-
num Sathanae, pestis inferno. Venit Pauper, dives existens, ut
tu inde ditesceres 2. Cor. 8. 9. Ergo venit ut thesaurus ad men-
dicos: quid tibi tua oberit ex peccato nuditas? Ecce habes hic æ-
ternas divitias; habes in Christi nuditate vestes gloria! Venit
mansuetus Ergo venit ut consolator ad afflictos, lux ad sedentes
in tenebris; quid turbata est anima tua? habes hic quietem dul-
cissimam. Venit infidens a sinæ, quæ solvit: Ergo venit ut libera-
tor ad captivos; quid ergo trepidas? Ecce animam tuam solvet à
vinculis peccatorum, à vinculis mortis, à vinculis Sathanae, ut ipse
eam regat, & in ea regiam suam habeat. Atq; hæc omnia in indi-
viduo ad te pertinere nullus dubites. Tuus rex est, tibi venit,
in tuum usum, ad tuum bonum. Tuum pronomen possessivum
est, tua ergo ipse erit possessio. Tu ejus in individuo es, quia te
in individuo creavit: ipse tuus vicissim in individuo est, quia
se pro te in individuo dedit in redemptione Gal. 2. 20. Is tuus est
& manet, tibi adstat, te affatur Dominus creator tuus &
formator tuus: Noli timere quia redemi te, & vocavi te
nomine tuo (Ergo in individuo) meus tu Esa. 43. 1. Esa. 41.
9. 10, Latetur ergò Israël in factore suo, filii Sion exul-
tent in rege suo Psal. 149. 2.

XXII. Fa.

XXII. *Faciant haec porrò ad seriam adhortationem, ut advenientem Messiam rectè excipiamus. Elevate portæ capita vestra & elevate vos fores seculi & introibit rex gloriæ Psal. 24. 9. Regius celebrandus ingressus, regius ergò requiritur apparatus. Adsint I. Anteambulones annunciantes, talis Zacharias hic, tales omnes ministri verbi: sine verbo enim in somniis Enthusiasticis & raptibus Phantasticis ad te non veniet: verbum currus ejus quo vehitur, hunc si negligis, ad te non veniet. Audeſne à rege terreno postcere, ut curru descendat, aliòq; quam ingredi solet modo, ad te veniat? impudens pro in postulatum foret, si spreto verbo peteres, ut Rex Messias ad te veniret. Adsint II. Comites obtemperantes, Christi comites erant discipuli, qui a sinam juxta mandatum adducunt, & vestimentis impositis Christum super imponunt: ita abs te requiritur obedientia Christi 2. Cor. 10. 5. quæ fides est, per hanc enim Christus cordi tuo imponitur, & in illo habitat. Eph. 3. 17, Vestimenta Sacramenta sunt quibus involvitur. Gal. 3. 27. in illis vera fide ipse tangitur Matt. 9. 21. & apprehenditur. Subijcienda porrò a sinâ veteris Adami & pullus indomitus concupiscentiæ actualis: mortificanda hæc, exuenda hæ vestes vetustæ, ut novis vestibus salutis Esa. 61. 10. ornati per fidem ei placere queamus. Adsint III. Pedisequi collaudantes. Hi debita gratitudo sunt, in verbis factisq; consistens: Si honor Christi requirit, ramos honorum tuorum liberaliter spargas: imò vitam & corpus, quod animæ vestis, per mortem libenter deponas: vicissim floreat in te palma patientiæ, oleæ pacis aliæq; virtutes Christianæ: gestato in honorem Messie vestem polymitam variorum bonorum operum Psal. 45. 14. ac tandem sine intermissione eum in precibus & gratiarum actione celebra, semper ingeminando Hosanna. Decanta Hosanna jubilationis: certè anima quæ adventum Salvatoris percipit, jubilabit in seipsa occulto modo ut DEU Saudit: est enim rex gaudij, magnumq; offert gaudium*

gaudium Luc. 2. 10, qui advenit: en arca DEI ad te adducitur, sume citharam Davidis & cum illo exulta: beatus populus qui scit jubilationem Ps. 89, 16. Decanta Hosanna precationis: ex Psal. 118. 15. Obsecro Domine salvifica nunc: obsecro Domine prosperare fac nunc: precibus advenientem Salvatorem alloqui, precibus rectissime ipsum excipere poteris. Decanta Hosanna gratiarum actionis: arcus Triumphalis ingredienti Satanae & mortis victori utiq; abs te erigendus est, quia optime meritus est: omnis populus hic laudat Dominum, ne te eximas ex numero laudantium, nisi ejectus esse supis ex numero Christum in caelestem Hierosolymam sequentium.

XXIII. Faciant denique ad severam dehortationem à vitiis & peccatis omnibus: Messias sanè venit propter peccatores, sed ut à peccatis salvum suum populum faceret: Noli ergo peccatis adventum hunc gratiae impedire: fuge illorum Judaeorum perversitatem, qui adveniente Messia conturbantur: fuge Phariseorum impietatem qui advenientis Christi laudem intervertere conantur: fuge populi huius inconstantiam quod hic Hosanna decantat, mox crucifige intonat: fuge hodiernorum Iudeorum pertinaciam, qui Messiam advenientem etiamnum repudiant. Omnes hi hostes Christi sunt quibus si te consociaveris, quid nisi quoque Christi hostis eris? Discipuli Christi longe aliter à nobis ante depicti: hi ergo illis contrarii, erunt Daemonis discipuli & filij Belial, quales illi erant qui primum regem Israelis despicientes dicebant, quid salvabit nos iste? 1. Sam. 10, 27. Tu cave: si enim regem hunc ad te venientem non recipis num contra te venientem sustinebis? Certè omnes, qui gratiae adventum negligunt, irati adventum experientur: quando ab impietate mundum ut olim templum purgabit, & omnes sui contemptores penarum flagellis, ultimèq; judicialis sententiae rigore expellet. Proin osculamini filium, ne forte irascatur & pereatis in via, cum exarserit brevi furor ejus, beati omnes confidentes in eo. Beatos beatos nos, qui Messiam nostrum fide osculamur, & in vita ac morte illi confidimus. Beatos nos propterea in sempiterna secula!

05 A 1319


ULB Halle 3
003 780 767


1277

04







IN NOMINE JESU
DE MESSIA

Ex Evangelio Dom. i. Ad.

PRAESIDE

WILHELMO LYSERO D.&P.P.

Respondente

M. BALTHASARE BALDUINO DRESDENSE

23. Jul. 1628.

in Auditorio minori disputabitur

WITTEBERGÆ,

Typis JOHANNIS HAKEN.

3.

